



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXXXI. Adalbero. LV. Arch. X. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

rit. Verùm inde turbatâ Republica, sponte sua quosvis reliquit honores, æquissimo animo ferens præferri sibi æmulum an. 1127.

LXXX. MEGINGERVS. LIV. ARCH.

IX. ELECTOR.

MEgingerus à puero Treviris educatus, & sacris muniis assuetus, dum inter turbas publicas ab omnibus fuit Archipræsul exoptatus, solus ipse inter silentii & modestiæ limites se continuit. In Electoratûs exordio Wilhelmum Lützelburgensem Comitem armis fatigavit hostem: inde ad sacra conversus, nova S. Mathiæ inventione se recreatum ostendit, præsertim cum eandem indubitata miracula comitarentur. An. 1128. Romam profectus, à Pontifice consecrari, & pallio exornari, dum petiit, impetravit. Româ in Germaniam reversus, invenit Clericos & multam, ut fieri amat, populi partem perinensam sibi: dum itaque consilii & auxiliû ergo Italiam repetere statuit, à Conrado Imperatore, aut veluti vocari consuevit, Rege nondum electo, interceptus, & carceri Parmensi inclusus, non nisi morbos & mortem præstolari est jussus: unde & mors brevè in limine adfuit, quæ justorum multorum iram justissimam provocans, ejus loci Archipræsulem adeò commovit, ut more Martyrum Megingerum sepulchro immiserit an. 1130. Difficultas dein exorta est maxima in eligendo Successore, quòd ob seditiosi populi, & Clericorum plerorumque crebras mutationes Sede dignissimi oblatam dignitatem constantissimè subterfugerint, unde primùm año 1132.

LXXXI. ADALBERO. LV. ARCH.

X. ELECTOR.

ADalbero ex Primicerio Metensis Ecclesiæ lectus Archipræsul, ab Innocentio III. Pont. in Rhemenfi Concilio ad Mitram est adactus, prius cum rebeli populo pugnavit, quam

P 2

Sedem

Sedem adiit victor. Hac major jam ac potentior victoria, Legatus per Germaniam creatus à Pontifice, cum Lothario II. Imperatore in Italiam transiit, ex qua Megingeri ossa in Germaniam secum retulit. Multis deinde litibus agitatus, nunc victor triumphavit, nunc victus succubuit, præsertim cum Confluentiæ literas Pontificias sibi oblatas fortè dilacerasset. Igitur Romam ad dicendam causam vocatus quamprimum venit, & ob promptam obedientiam impetravit, ut Seyherus Abbas ad fidem Trevirensium Archiepiscopo promittendam fuerit adactus. Cælestinus paulò post creatus Pontifex, factum denuo ratum habuit. An. 1147. Eugenium III. Pontificem in Gallias profectum, factus obviam Adalbero honoravit, Trevirósque Viriduno euntem humanissimè invitavit, ubi pari humanitate exceptum ad S. Mathiæ templum deduxit, indeque ad urbem vicinæque loca traductam trimestri integro suis aluit impensis. Eodem tempore Pauliniana Basilica, & S. Mathiæ fuerunt consecratæ, institutæque Treviris Synodus, in qua præter alia D. Hildegardis facinora ab Historicis conscripta sunt, discussa & probata. Hinc Pontifex ad Rhemensè digressus Concilium Adalberoni tanquam Primati proximum à se tribuit locum: unde denuo lites, autoritate tamen Pontificis sopitæ. Postrema Adalberoni contentio fuit cum Hermanno Comite Palatino, qui Advocatus Ecclesiæ delectus, Ottoni Comiti Rhineco Trisium castrum, infra Cardonam ad Mosellam eripuit, quod cum Otto adstipulante conjugè Trevirensi Ecclesiæ donasset, Adalbero reddere recusanti armis extorsit, Comite, ut periculum evitaret, cautè declinante. Indictis demum Confluentiæ Comitibus, postquam discordes, & ad civile bellum spectantes nobilium animos felici pacis studio composuit, febris simul & pleuritide correptus exspiravit an. 1152. Sed. an. 20.